



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 22. Valor Sponsalium inter Catholicum & Hæreticam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

QUÆSTIO VII. *Valor sponsalium inter Catholicum & hæreticam.*

AN valida sint sponsalia inter Catholicum, & hæreticam, & è converso?

Respondet Sanchez Negative *lib. 7. de matr. disp. 72. n. 3.* Quia, inquit, promissio illa est de re illicita, ac proinde nullam sponsalium obligationem inducit.

Respondeo tamen, cum Becano *de Sacram. cap. 43. quest. 36. n. 4.* potius admittendum sponsalia valida esse in Germania, & alijs partibus, ubi Catholici hæreticis admixti degunt. Primò, quia probabile est apud plurimos auctores, matrimonium ordinario modo in illis locis cum hæreticis contractum esse licitum: & ut hoc dubium foret, in favorem matrimonij in re dubia judicandum esset. Ergo non probatur sponsalia cum hæretica ex illa parte irrita esse, adeoque concidit præcipua ratio à Sanchez in oppositum allata.

Secundò, quia tametsi matrimonium illud non esset licitum in ratione Sacramenti, possunt tamen sponsalia esse valida, quia non continent promissionem Sacramenti, sed tantum contractus civilis, qui potest esse licitus, & honestus. Sicut in veteri testamento, sponsalia dicebantur ordinem ad solum contractum civilem. illa autem per se videntur fuisse ejusdem naturæ cum illis sponsalibus quæ modò celebrantur. Ergo sponsalia cum hæretica inita pro validis haberi debent: Quando autem censenda sint licita, judicari id debet ex conditione matrimonij secuturi, de quo, quando licitum sit, jam ulterius inquiremus.

QUÆS-